

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Petri Priorem Paraphrasis Per Des. Erasmum Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM PETRI
 PRIOREM
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM;

CAPUT I.

Petrus ille quondam discipulus et convictor, nunc legatus et apostolus Iesu Christi, omnibus qui sparsim habitant in minoris Asiae regionibus, Ponto, Galatia, Cappadocia, eaque parte, quae est Ephesiorum, ac proprie sibi nomen Asiae vindicat, Bithyniaque, quos vel olim bellorum procellae alios alio dispulerunt, vel nuper eorum saevitia, quibus Christi nomen erat invisum, patriis sedibus exegit innoxios, atque ideo nunc extores inter peregrinas nationes velut exulant, exclusi quidem hominum metu a solo natali, at non ideo semoti, nec exules aut abdicati ab evangelii munere, quod Deus omnium princeps ita largitus est, primum terrae gentique iudaicae, ut tamen omnibus velit esse commune, quoscumque delegerit ipse. Nam ut frustra nati sunt ac vivunt Hierosolymis, qui Iesu Christi doctrinam adspernantur: Ita nulli futurum est fraudi, quod inter gentes incircumcisas ac profanas habitat, si modo pro lege mosaica gratiam evangelicam amplectatur. Neque enim legis observatio, qua tumet Iudaeorum

vulgus, praestat veram salutem, neque genus, aut locus, sed gratuita numinis electio. Ille vere Judaeus est, qui quodcumque solum incolens, quocumque genere natus, Iesum Christum agnoscit verae salutis auctorem, qui non uni genti mortuus est, sed orbi terrarum universo. Ut autem hunc agnoscamus, non debemus observatae legis merito, sed gratuita Dei bonitati, qui ex omni natione deligit, vocatque ad evangelii munificentiam, quoscumque ipsi visum est adsciscere. Neque enim hoc illi temere nuper venit in mentem, ut hac ratione servaret universum genus mortalium, neque ut nostris benefactis impulsus, hoc ceu praemium nobis ita meritis reponit, sed aeterno consilio fuerat hoc Deo patri decretum, ut non Judaeis tantum, sed universis gentibus aperiret portum salutis, non per circumcisionem, neque per sabbatismos, neque per ciborum delectum, neque per alias mosaicae legis caeremonias, quae corporales sunt, et rerum spiritualium umbrae duntaxat quaedam ad tempus datae sunt, sed per veram sanctificationem spiritus, quem nobis impartit lex evangelica spiritualis, qua vere purgamur ab omnibus peccatis nostris, non ex eo, quod observavimus legis veteris praescripta, sed quod simpliciter promteque fidimus evangelicis promissis, non ex adperso vituli sanguine, quemadmodum haec iuxta legis ritum facitari consuevit, sed ex adpersione pretiosi sanguinis illibatae Deoque gratissimae victimae Iesu Christi, cuius immerita mors nobis semel omnia vitae veteris commissa delet, ac per baptismum velut in ipsum renatos, novae vitae restituit. Quos quoniam baptismus exemptos huic mundo coelesti municipio insequit, non precabor ea bona, quibus parandis et accumulandis sibi felices videntur mundi cultores, sed ea potius, quae nos a terrenis contagiis purgatos, coelesti principe Christo dignos reddunt; videlicet gratiam, ut vestris ipsorum meritis diffusi, diffusi etiam legis ceremoniis,

e sola gratuita Dei munificentia fiduciaque evangelii veram expectetis salutem; ad hoc, pacem, ut Deo per Christi sanguinem reconciliati gratis, concordiam et inter vos habeatis, et cum caeteris omnibus, non solum neminem laedentes, verum etiam aliorum admitta condonantes, et malefacta benefactis repensantes. Quorum bonorum sortem ut gratis accepistis a Deo, ita piis studiis adnitendum est vobis, ut bonorum operum usura magis ac magis ditescatis, non modo persistentes in eo, quod coepistis, verum etiam in dies in melius progredientes, donec ille venerit dies, quo praemium immortalitatis exhibebitur, cuius nunc certam spem hausistis ex evangelio Christi, ne quid hinc laudis nobis arrogemus. **3** Ob hoc tam immensum beneficium laudanda benignitas eius, a quo nobis per Christum proficiscitur, quidquid vere beatos reddit. Is est non Moyses, sed Deus ipse, et idem pater domini nostri Iesu Christi, qui parum feliciter natos ex Adam, nimirum natos peccato, natos morti, denuo genuit nos innocentiae, genuit immortalis vitae, nullis meritis nostris provocatus, sed ultro sua misericordia, qua summus est, extrinsecus, idque fecit non praesidio legis mosaicae, sed impendio proprii filii Iesu Christi, quem mortem subire voluit, ut nos alioqui deploratos, a peccati mortisque tyrannide liberaret, quem mox a morte revocavit ad vitam, ut interim mortui cupiditatibus mundanis, et ad illius exemplum morum innocentia resurrectionem veluti meditantes, certam et alacrem spem habeamus fore, ut nos quoque aliquando his exempti malis, una cum Christo pertingamus ad aeternam illam haereditatem, quam ut assequutus est ille caput nostrum, ita consequemur omnes, quicumque Christi membris insiti, illius imitatione meremur, illius dici fratres, et eiusdem patris filii, ut quemadmodum afflictiones sunt nobis cum illo communes, ita **4** sit et cum illo commune praemium. Quamdiu fui-

mus filii peccatoris Adae, manebat nos infelix haereditas, posteaquam facti sumus filii Dei, ad coelestem haereditatem properamus. Decet enim, ut e coelo nati, coelestia spectemus, ut ex Deo nati, non nisi divina sectemur. Qui mundo militant, caduca praemia fluxamque mercedem arabiunt. Nos post has temporarias afflictiones manet illa felix haereditas, quae neque morte possit corrumpi, neque taedio molestiave contaminari, neque senio situve marcescere. Non est quod metuamus, ne quis hanc tam opimam haereditatem nobis intervertat. Habemus certae fidei promissorem, apud illum nobis in tuto est, conservaturque in coelis, sed ita, ut interim certa spes ac veluti pi- 5 gnus quoddam sit penes homines in terris, non penes quoslibet homines, sed penes vos, vestrique similes, quibus Christi spiritus arrabonis vice datus est, quique licet interim variis malorum procellis undique tundamini, quibus humana imbecillitas prorsus ex se fit impar, tamen Dei praesidio, qui nihil non potest, servamini, non vestris meritis, sed fide fiduciaque, qua non dubitatis, quin Deus, etiamsi patiatur vos interim velut opprimi, tamen incolumes vos sit exhibiturus in extremo tempore, post quod non erit amplius ista rerum humanarum confusio, sed mali addicti suis suppliciiis, neminem laedere poterunt, et boni ab omnibus malorum incurfibus tuti, aeterno fruuntur otio. Nunc enim latent praemia, et saepe iuxta vulgarem aestimationem peius habent, qui meliores sunt, et florere videntur, qui maxime pereunt. Hic exercendae pietatis tempus est, praemio suum praescriptum est tempus, quod non oportet antevertere. Nobis interim fit satis, quod aeterna felicitas nobis est in tuto, quam nullus hominum aut daemonum possit intercipere, modo ne nos deficiat fides, qua neglectis rebus mortalium, toti pendeamus e coelo. Sint interim feroces, qui Deo 6 rebelles fidunt mundi praesidiis, insultent interim quasi

victis ac destitutis. Caeterum ubi venerit ille dies, ver-
fis in diversum rerum vicibus affligentur illi, vos exsul-
tabitis victores, imo nunc etiam exultare debetis in-
dubitata tantae felicitatis expectatione. Neque enim
debet vobis videri magnum aut grave, si per breves ac
mox defituras afflictiones molestiasque pervenitis ad
nunquam interituram beatitudinem. Forfitan et per-
sequutionum harum aliquando finis erit, quae tamen
quoties ingruunt, spe vitae futurae magno infractoque
7 animo ferendae sunt ob Dei gloriam. Sic enim per-
mittit sapientia Dei, vestris consulens commodis, ut fi-
dei vestrae sinceritas constantiaque variis malorum in-
cursibus exploretur. Etenim si aurum, res alioqui et
perdita et peritura, non solum exploratur per coticu-
lam, verum etiam per ignem examinatur, ut eo ma-
gis deinde sit in pretio, quo fuerit exactius repurga-
tum: Multo magis Deus vult fidem vestram variis ex-
perimentis probari, cui tantum honoris debetur, ut
quum ex his malorum et afflictionum incendiis emicue-
rit, longe purior ac fulgentior quovis auro purgatissi-
mo, pretiosa sit apud Deum, resque omnis tandem in
diversum exeat, nimirum ut quod hic videbatur illa-
tum ad dedecus, cedat in laudem, quod ad ignomi-
niam, vertatur in gloriam, quod ad dehonestandum
vos, vertatur in cumulum honoris eo die, quo Iesus
Christus, cuius vis nunc agit in vobis occultis rationi-
bus, palam sese proferet omnibus, suum cuique prae-
mium pro meritis rependens. Quid enim gloriosius,
quam ore Christi laudari, quum audietis: *Venite bene-
dicti patris mei.* Quid honorificentius, quam a Deo
patre recipi in consortium regni coelestis una cum fi-
lio? Haec autem gloria, quamquam erit omnium pio-
rum communis, tamen copiosior continget iis, qui
maiora pro Christo passi sunt in terris. Quae praemia
si nunc apparerent, non esset admirabile fidei robur.
8 Nunc in hoc est praecipua laus bonorum, quod Chri-

stum, quem corporeis oculis nunquam vidistis, tamen oculis fidei conspectum amatis, quumque dolorum vis palam ac praelens urgeat, praemia vero, quae sunt in diem, nondum appareant, tamen illius promissis fisci, non alio animo toleratis ista, quam si coram adesset parata gloria, nec toleratis modo fortiter, verum etiam in mediis afflictionibus exultatis inenarrabili gaudio, pleni (*) gloriae apud Deum, videlicet bene sperantis 9 conscientiae, pleni certa fiducia, quod ista praeter meritum tolerantes, volente Deo reportabitis abunde magnum fructum fidei vestrae, nimirum aeternam salutem animarum vestrarum. Ingens enim lucrum est, quum iactura caduci corporis servatur immortalis anima. Sic visum est aeterno consilio Dei, ut his rationibus salutem consequerentur homines, quibus et Christus ipse pervenit ad aeternam beatitudinem. Neque 10 enim haec fortuito geruntur, sed quod nos factum vidimus, id prophetae veteres, qui multo ante nos vaticinati sunt fore, ut per fidem et evangelicam gratiam absque legis mosaicae praesidio servaremini, diligenter exquisierunt ac scrutati sunt, non contenti tamquam per nebulam videre, quod esset futurum, sed illud etiam 11 pia curiositate sciscitati sunt a spiritu Christi, qui iam tum illis arcano afflatu significabat, quid esset passurus Christus, ac mox ad quantam gloriam evehendus, tum quo, vel quali tempore id esset futurum, siquidem ingenti desiderio salutis huius tenebantur illorum animi. Quibus et illud patefactum est, quod haec, quae 12 futura praesagiebant, ipsorum temporibus non essent exhibenda, sed vestris, quaeque suis vaticiniis prodebant, vobis proderent, non sibi. Optassent quidem illi videre, quod vobis videre contigit, sed ideo praecesserunt illorum vaticinia, quo certior esset fides nobis apostolis, qui nunc eadem vobis annuntiamus facta, quae praedixerant illi futura. Quoque minus dubitatis, idem Christi spiritus tacitis afflatibus illos do-

*) Aliac: plenoque

cuit olim, quid facere decrevisset, qui nos nuper in igneis linguis e coelo delapsus instruxit, ut eorum quae gesta sunt, in toto terrarum orbe simus praecones. Praedicamus enim Christum nostrae omnium salutis causa factum hominem, versatum in terris, probris et cruciatibus afflictum, denique cruci suffixum, pro nobis obisse mortem, mox revocatum ad vitam, subvectum in coelum, ubi nunc cum patre praefulget maiestate gloriaque, qui prius videbatur in terris vilis et abiectus, eodem subvecturus et suos. Haec tam ineffabili Dei consilio gesta, non mirum si prophetae concupiscebant cernere, quum ipsis etiam angelis sit admodum iucundum gratumque spectaculum, cuius contemplatione non queunt expleri. Quo maius est beneficium, quod vobis offertur, hoc avidius est vobis amplectendum, ne vestro vitio fiat, ut non assequami-

13 ni. Certum est praemium, sed interim vestrae partes sunt, ita vos gerere, ne videamini indigni promissis. Aderit ille dies inexpectatus, qui proferet in apertum piorum et impiorum praemia. Is quaecumque veniet, laetus et felix veniet iis, quos paratos offenderit, contra formidabilis iis, quos diffidentia torpentes repererit et oscitantes. Quoniam autem Christus incertum esse nobis voluit diem illum, non oportet vos unquam esse securos, sed semper accinctos animi lumbis, ceu paratos in occursum adventantis domini, vigilantes ac sobrios, certa firmaque semper erectos ac suspensos expectatione felicitatis aeternae, quae nunc offertur omnibus, qui obtemperant evangelio, sed tum demum possidebitur, quum palam ostendet maiestatem suam cunctis hominibus et angelis ac daemonibus domi-

14 nus noster Iesus Christus. Verum ad eam immortalitatem non pervenient, nisi qui hic eam quodammodo fuerint meditati, atque ad exemplum Iesu mortui cupiditatibus huius mundi, cum illo revixerint ad innocentiam, atque in ea constanter persisterint, tamquam le-

gitimi verique filii, fidentes promissis Dei patris, et illius praescriptis obtemperantes, nec unquam relabentes in veterem vitam, ob ignorantiam evangelicae doctrinae mundanis obnoxiam cupiditatibus. Conve-¹⁵nit enim, ut a quibus dissidetis professione, ab iisdem dissideatis affectibus ac moribus. Mundus malus est, a quo iam pridem estis exempti, Christo iusto sanctoque et innocenti insiti, ad hoc delecti vocatique a patre sanctitatis omnis fonte, ut vos quoque, quemadmodum estis sancti professione, ita sitis et omni vita factisque puri, integri, et inculpati. Non enim agnoscet pater filios, nisi sui similes. Nimirum hoc sensit,¹⁶ quum loqueretur maioribus nostris Levitici capite XIX. *Sancti estote, quia ego sanctus sum, dominus Deus vester.* Non vobis suffecerit mosaica puritas, ut abstineatis a contactu cadaverum, ut lotos habeatis pedes, ut abstineatis a concubitu. Totam vitam, ac totum pectus nostrum Deus vult procul abesse ab omnibus vitiorum inquinamentis. Siquidem haec sunt, quae nos vere reddunt impuros coram oculis Dei. Quem etiam si patris no-¹⁷mine compellatis, in omnibus implorantes opem illius, non est tamen, quod impure viventes speretis illum vobis fore propitium, aut pro filiis agiturum, qui non aestimat quemquam ex genere, aut fortuna, sed tantum ex vitae meritis. Nec enim ille purus erit Judaeus, si vita, si animus fuerit inquinatus, nec hic erit impurus praeputiatus, si piam, si innocentem vitam egerit. Superest igitur, ut qui patrem hunc cupitis habere propitium, illius inevitabile iudicium semper habentes prae oculis, donec agitis in hoc exilio, sic moderemini vitam vestram, ne sit ob quod offensus pater, vos ceu degeneres parumque morigeros filios ab haereditate patriae coelestis merito secludat. Quo magis est pretium, quo vos Christus gratis redemit, hoc magis cavendum est, ne volentes et ingrati in pristinam servitutem revolvamini. Nulla servitus miserior,

quam mancipium esse vitiorum. Qui pauculo aere liberantur a servitute heri, et ex servis fiunt libertini, modis omnibus advigilant, ne ob ingratitude[m] possint in relictam retrahi servitutem. Et vos committetis, ut in veterem tyrannidem recidatis, ut denuo mosaicae legis velitis esse mancipia, malitisque servire vanis observatiunculis, a maioribus vobis per manum traditis, quam obtemperare evangelio Dei, quum sciatis vos ab il-
18 lis semel esse liberatos, non pretio vulgari, velut auro argenteo, sed hostia longe sacratiore, quam norit lex
19 mosaica? Non enim adperso sanguine vituli purgati estis, sed pretioso cruore Iesu Christi, qui velut agnus omnis maculae nescius, purus ac illibatus ab omni vitiorum inquinamento, pro nostris peccatis immolatus
20 est in ara crucis. Neque vero id factum est fortuito, sed ab aeterno et ante conditum mundum destinatus est huic sacrificio Dei filius, ut sua morte nobis reconciliaret patrem. Caeterum divinae mentis consilium ac decretum, quod multis seculis orbi fuit incognitum, nunc tandem his extremis temporibus patefactum est, et oculis hominum exhibitum novum spectaculum, quod in mente divina novum non erat. Exhibitum est autem vestrae salutis gratia, quibus Christus homo factus,
21 mortuus ac praedicatus hoc praestat, ut qui ante frustra fidebatis legis caeremoniis, nunc vobis diffusi, fidatis Deo patri, qui ut eum mori voluit expiandis peccatis vestris, ita suscitavit ex mortuis, proque toleratis huius vitae laboribus dedit immortalitatis gloriam, ut quod credidistis ab illo factum aemulantes, speretis et vobis idem praemium, videlicet auctore Deo freti, qui quod in filio praestitit, haud dubie praestaturus est in omnibus, qui sic vixerint, ut inter Christi membra numerari mereantur, in cuius corpus estis infiti, postea-
22 quam per baptismum in eum fuistis renati. Antehac obtemperastis cupiditatibus vestris, utpote carnales umbras rerum pro veris amplectentes. Nunc posteaquam puri-

purificastis animas vestras, non observatione lustrationum mosaicarum, sed ex eo, quod per fidem obedistis evangelicae veritati, quae spiritu Christi purgavit animos vestros, adnitendum est, ut innocentia vitae capiti Christo, et vehementi planeque fraterna, minimeque fucata inter vos caritate, concordiae corporis respondeatis, ut quemadmodum Christus vos dilexit non amore vulgari, neque carnali, ita vos invicem spirituali caritate prosequamini. Nova cognatio novum desiderat affectum. Antehac Judaei Judaeos diligebatis affectu carnali, nunc longe alio modo renati, non ex semine mortali terrenoque iuxta corpus, sed ex semine immortali coelestique per sermonem Dei viventis ac permanentis in aeternum, cuius evangelio credidistis, fratres coelesti caritate prosequimini. Mosis lex ad tempus erat data. Sermo Dei nobis prodidit evangelicam legem nunquam desituram. Quod ab hominibus profectum est, temporarium est, quod e coelo venit, aeternum est, quemadmodum praedixit Esaias: *Omnis caro velut foenum, et omnis hominis gloria quasi flos agri. Exaruit foenum, et flos eius decidit, at verbum domini manet in aeternum.* Hic est sermo Dei patris aeternus aeterni, quem olim legis prioris umbrae vobis delinearunt, caeterum nunc per evangelii praedicones aperte praedicatur, non vobis solum, sed omnibus, qui Christum sincera fide recipiunt.

CAPUT II.

QUoniam nuper estis per evangelicam doctrinam coelesti generatione renati, prorsus abiectis omnibus veteris vitae vitiis, si quid erat malitiae, si quid doli, si quid simulationis, si quid invidentiae, si quid obrectationis aut maledicentiae, posthac velut infantes recens nati, avidè concupiscite lac illud non corporis, sed animi, lac doli

nescium, et aptum aetati vestrae innoxiae magis, quam robustae, lac institutionis evangelicae. Habet enim evangelica doctrina sua rudimenta, habet infantiam suam, habet pabulum accommodum imbecillae aetati, habet et profectus suos, demum habet aetatem perfectam. Non sunt illa prima fastidienter haurienda, sed avide, sed sitienter, nec in his tamen persistendum, 3 sed ab his usque proficiendum ad perfectiora. Siquidem et absurdum fuerit, si quis e matre natus semper infans nihil aliud quam lac expetat. Oportet et vos grandescere, donec adolescatis ad perfectam salutem, neque semper haerere in fundamentis, sed paulatim asurgere ad perfectam structuram domus, si quidem iuxta psalmographi consilium gustastis, quod suavis fit dominus Iesus, oportet hoc gustu accendi ad appetenda 4 maiora. In humanis aedificiis lapides nec commutant locum suum, nec accrescunt. In hoc aedificio, quod constat vivis lapidibus, cuius praecipuus et omnia continens lapis est Iesus Christus, vivus et aeternus, pridem iuxta psalmographi vaticinium ab hominibus reiectus, nimirum a pharisaeis, qui suo templo perituro freti, structuram hanc coelestem non noverant, sed Dei iudicio selectus, multoque in pretio habitus, nihil obstat, quo minus paulatim ad structurae perfectionem proficiatur. 5 Igitur ad Christum lapidem vivum, lapidem electum, lapidem in oculis Dei pretiosum, oportet vos virtutum profectibus accedere, ut ipsi quoque tali fundamento nixi, paulatim superstruamini, donec efficiamini templa spiritualia, longe sacratiora templo, quo gloriantur Judaei, et in quibus sacerdotium exerceatur multo sanctius, quam in illo consuevit. Siquidem in illo Levitae et sacerdotes pecudes immolabant, in his spiritualibus templis, vos ipsi spirituales hostias offertis longe gratissimas Deo, qui ut spiritus est, non corpus, ita spiritualibus hostiis delectatur, ne quid desideretis Mosis ritus, per evangelium Christi iam antiqua-

tos, pro variis animantium generibus mactatis affectus mundanos brutosque, libidinem, superbiam, iram, invidiam, vindictae cupiditatem, luxum, avaritiam, pro thymiamate puras preces, e sinceri pectoris ara subvolantes in coelum. Haec sunt sacrificia, quae nunquam non immolantur in templo spirituali, quae nunquam non sunt grata Deo. Jam pridem enim mosaica illa in nauseam abierunt, ut testatur Esaias propheta. Horum iugis est gratia per Iesum Christum, cuius commendatione grata sunt patri christianorum obsequia. Non est quod diffidatis, donec inhaeseritis capiti vestro, donec innixi fueritis eximio et immobili lapidi Christo, de quo dixit olim Deus per os Esaias: *Ecce pono in Sion lapidem in summo collocandum angulo, probatum, electum, pretiosum. Et qui sisus illi fuerit, non pudet.* Quod praedixit ille, iam videmus exhiberi. Idem ille lapis aliis pretiosus fuit ac salutaris, aliis noxius ac pestilens. Vobis merito pretiosus est, qui illi innitimini, qui fiditis, adversus omnes tempestatum procellas tuti eius praesidio. Caeterum iis, qui Mose maluerunt inniti, quam huic, qui hunc reiecerunt, nolentes eum poni in aedificio, quod ipsi parabant aedificare, versus est in probrum ac perniciem. Etenim quem illi suo aedificio dignati non sunt, hunc Deus in suo aedificio voluit esse caput anguli, quo ceu parietem utrumque, hoc est, populum utrumque, gentium ac Iudaeorum complecteretur et contineret, cuius munimento tuta esset adversus omnes insultus structura, et in quem suo malo impingerent et incurrerent, quicumque adversarentur huic novo aedificio. Impingunt autem, quoscumque offendit sermo evangelicus, neque credunt illi, quum huc eos praepararit lex mosaica, ut crederent evangelio, simulatque vere praestaretur, quod adumbrasset illa. Proinde qui reprobaverunt Christum, hos vicissim reprobavit Deus. Vos autem, quos illi cum Christo reiciunt, fecit genus illud electum, de

quo loquutus est olim Moses, gentem illam sanctam, populum peculiarem, quem sibi Deus eximio pretio vindicavit, ut quemadmodum olim populus Hebraeorum duce Mose liberatus ab Aegyptia tyrannide, perque tot rerum discrimina perductus ad terram diu speratam, divinam erga se beneficentiam orbi praedicavit: Ita et vos, memores illius erga vos gratuita benignitatis, celebretis apud omnes admirabilem Dei potentiam, qui nova ratione devictis hostibus salutis vestrae, eruit vos ab ignorantiae vitiorumque tenebris, in admirabilem lucem suam evangelicae veritatis, per quam omnes et gentium errores et Judaeorum umbrae discutuntur.

10 Vobis igitur contigit hoc honoris, quod illi sibi promiserant, qui Christum persequebantur, ac versis rerum vicibus evenit, quod Osee futurum praedixit: Populus, qui prius erat abiectissimus, utpote a Deo alienus, nunc est populus Deo peculiaris. Et populus, quem Deus reiecerat, ut indignum sua misericordia, nunc expertus est Dei misericordiam, absque circumcisionis aut legis adminiculo, per solam fidem evangelicam receptus in consortium filii Dei. Posteaquam igitur agnoscitis Dei singularem erga vos beneficentiam, quos sanguinis pretio redemerit, quos filii morte sibi reconciliarit, quos unigeniti sui membra, quos coelestis structurae lapides vivos esse voluerit, quos in filiorum ius adoptatos ad immortalitatis haereditatem vocarit, obsecro vos, carissimi, ut vitae sanctimonia et dignitati vestrae, et benignitati divinae, et tanto praemio respondeatis. Coelo renati estis, hic velut hospites ac peregrini. Eo properate, ubi vobis est patria, ubi reposita est coelestis haereditas, ne quid ab hoc studio vos avocent terrenae crassaeque cupiditates, quae in chinis omnibus militant ac belligerantur adversus spiritum, rebus coelestibus inhiantem. Congruat vita professioni, ut vestri mores et alios alliciant ad Christum, quos habet paganismus, inter quos vivitis, quibus

in tantum non oportet ullam praebere ansam, ut iure male sentiant de doctrina evangelica, si conspexerint vos ad communem vitae consuetudinem nihilo meliores caeteris, ut obrectationem illorum, qua de vobis maledicunt odio Christi, quem ignorant, et odio religionis, quam existimant esse maleficam superstitionem, refellat integritas morum vestrorum, atque in omnes beneficentia. Quibus rebus compertis resipiscent et illi, agnoscentes errorem suum, afflati misericordia Dei, quum illi visum fuerit et illos attrahere, qui vos delegit, iamque glorificent eum ex vestris piis operibus, quem ante ignotum detestabantur. Habet et hic mundus ordinem suum, qui per occasionem religionis turbandus non est, quatenus id licet, incolumi Christi gloria. Ita Christus vos voluit esse liberos a peccatis, ut tamen ultro nihil non feratis, ob evangelii negotium obtemperantes ac submittentis vos non modo christianis, verum etiam ethnicis magistratibus, sive rex sit ille, obediendum est tanquam auctoritate publica praeminenti, sive praesides, per quos in provinciam missos rex administrat respublicas, obtemperandum est. Neque vos moveat, quod ethnici sunt, quod idololatrae sunt, sed agnoscite functionem illorum necessariam reipublicae, quae constat e diversis hominum ac religionum generibus. Praesident enim isti cum auctoritate, ut nocentes ac scelerosos suppliciorum metu coerceant, ac probos praemiis invitent ad officium. Non est vobis opus illorum metu, qui sponte praestatis plus, quam exigunt leges humanae. Non est opus humana laude, quos inflammat coeleste praemium, sed tamen oportet et hos cum caeteris agnoscere. Sic enim vult Deus summus ille princeps vester, ne quam ansam praebatis illorum imprudentiae, qua possint probabiliter in crimen vocare professionem evangelicam, si senserint suam auctoritatem a vobis negligi. Quod alii praestant metu legum, id vos ultro ex animo praestate,

Ddd 3

cumulatius etiam quam alii, quo vos vere liberos declaretis. Nam liber est is, qui sponte ac volens recte facit. Absit enim, ut evangelicae libertatis praetextu abutamini ad licentius peccandum. Non debetis servitutem hominibus, sed quoniam estis servi Dei, ob huius gloriam submitteris vos omnibus lubentes ac volentes. **17** Si quid igitur officii, si quid honoris debetur etiam ethnicis, vel ob munus publicum quod gerunt, vel ob affinitatem, id persolvite omnibus, ne quid offensi reddantur alieniores ab evangelii professione. Peculiariter tamen caritate par est prosequi, quos communis professio fratres vobis reddidit. Deum timete, cuius oculos nemo fallit. Regem non est cur metuatis, qui non est formidabilis, nisi maleficis, sed tamen auctoritatem illius agnoscite in iis, quae citra iacturam pietatis exigit a vobis. Exposcit vectigal, solvite. **18** Exigit tributum, date. Quod liberi praestare debent magistratibus, licet ethnicis, hoc servi praestare debent heris suis, a quorum obsequio non liberat illos baptismus. Imo hoc maiore cum reverentia debent illos agnoscere, non solum si boni sint ac modesti, verum etiam si difficiles et asperi, ne forte offensi moribus vestris incommodioribus, incusent professionem, et ab ea reddantur alieniores, ad quam oportebat illos vestra **19** probitate pellici magis et invitari. Dicit aliquis: Durum est ferre principum tyrannidem, durum est perpeti saevitiam dominorum; illi spoliant, exigunt, affligunt; hi flagris et colaphis conscindunt innoxios. Recte viderentur haec non ferenda, si hoc illis tribueretur, ac non potius Deo. Non meretur hoc illorum impietas, ut tolerantur, sed ita est Dei voluntas, ut vestra bonitas illorum malitiam vertat in gloriam Christi. Nam ita demum Deo grata est vestra patientia, quum praeter meritum afflicti, tamen aequanimiter toleratis, non metu hominum, sed ob Dei gloriam. **20** Vulgo nihil est impatientius contumeliae, quam innocentia. At inter christianos longe secus est, apud quos

ut quisque est optimus, ita Deo cupit esse gratissimus. Atque hunc quo diligit impensius, hoc alacrius perpetitur, quidquid ad illius pertinet gloriam. Quid autem laudis fuerit, si quum ob malefacta colaphis caedimini, suffertis? Docet hoc mali conscientia, ut quisque commeritas poenas tacitus ferat. Verum quum pro benefactis illata mala patienter toleratis, gratiam*) initis apud Deum, cuius causa volentes perpetimini. Indignetur innocentia vestra, nisi Christus innocens graviora passus est pro nobis. Haec est vestra profes-²¹ sio, hac lege adsciti estis in corpus illius, ut exemplum tolerantiae, quod ille vobis reliquit, sequamini, et iisdem vestigiis ingressi, grassemini ad aeternam gloriam, qua ille pervenit. Quid ille malorum non pertulit, qui cum latronibus crucifixus est? Quid eodem²² innocentius, qui adeo nullum admisit facinus, ut nec in lingua illius sit ullus unquam repertus dolus? Quum²³ in illum congererent acerba convitia, non regessit maledicta, quin potius patrem obsecravit, ut illis ignosceret. Quum vinciretur, quum caederetur, quum crucifigeretur, non minitabatur vindictam, sed omnem vindictam reliquit patri, qui non ex affectu, sed iuste iudicat, ipse deprecatorem interim agens, non instigatorem. Nos tamen nunc sequimur innocentiam, ta-²⁴ men sceleribus nostris commerueramus olim ultionem Dei. At Christus quum ipse nulli peccato esset obnoxius, tamen sarcinam peccatorum nostrorum, quo nos oneratos sublevaret, sustulit in proprio corpore, et in ligno crucis velut holocaustum pro nostris sceleribus immolatus est, suaque morte immerita nobis debitam mortem depulit, ut illius mortem ac resurrectionem interim imitemur, ac mortui pristinis peccatis cupiditatibusque, quibus addicti serviebamus, posthac vivamus innocentiae, cui nos ille consecravit omnis innocentiae fons, qui nostram impietatem in se transtulit,

Ddd 4

(*) Aliae: gloriam

ut nobis suam conferret iustitiam. Nos offenderamus, ille vapulavit, nostra erat culpa, in illum saeviit animadversio. Proinde iuxta vaticinium Elaiæ, *nos illius livore sanati sumus*. Huic igitur acceptum ferre debetis innocentiam vestram. Quod pristinae vitæ peccata non imputat Deus, huius vinculis, huius plagis, huius vulneribus, huius cruci, huius morti debetis.

25 Nam ante velut oves palantes absque duce, alii alio aberrabatis, quo quemque sua ducebat cupiditas, existimantes licere, quidquid liberet, sed ab errore pristino nunc conversi estis ad Christum Iesum, pastorem et curatorem animarum vestrarum. Hunc si sequamini, ferendis præter meritum afflictionibus malorum, illo duce pervenietis ad immortalitatis gloriam.

CAPUT III.

- 1 **I**am quemadmodum liberi, principes ac magistratus publicos, servi dominos privatos debent obsequio, quod ubique parit benevolentiam, ad evangelii favorem pellicere, aut certe per occasionem non irritare, si forte sanabiles non sunt: Ita debent et uxores maritis suis morigeras præbere sese, non modo christianis, verum etiam iis, qui doctrinam evangelicam nondum sunt amplexi. Siquidem fieri potest, ut quos non commovet nostra prædicatio, eos uxoris integritas, pietas, modestia, temperantia, castitas, tolerantia pervincat atque permolliat, ac denique Christo lucrifaciat.
- 2 Etenim quum conspexerint eas a baptismo commutatis esse moribus, quum in eis viderint exemplar verae virtutis, fortassis inflammabuntur, huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori consortes sunt, velint et professionis esse socii. Habet enim perquam acres stimulos sincera probitas, quæ sæpenumero propius animadversa facit, ut carnalis amor vertatur in

spiritualem. Illum excitat formae venustas, et formae gratiam adiuvens cultus, hunc excitat mentis integrae pulchritudo relucens in moribus. Quam ob rem uxoribus, quae Christum professae sunt, non oportet hoc esse studium, ut iuxta vulgatam consuetudinem compositis arte capillis, ut additis gemmis aurove, et purpureo amictu, reliquoque corporis cultu, qui foris exhibetur, sese commendent oculis virorum. Quid enim aliud fiat hisce rebus, nisi ut corpus uxoris adament ad libidinis usum? At quota portio hominis est corpus? Illud magis debet esse studio, ut morum ornatu provocati, mentem animumque latentem adament, si eam conspexerint puram, nulloque vitiorum naevo contaminatam, si praeter morem communem nihil viderint in muliere muliebrium affectuum, nihil intemperantiae, nihil iracundiae, nihil invidiae, nihil ambitionis, nihil arrogantiae, nihil procacitatis, sed spiritum mitem, placidum, tractabilem, ac mansuetum. Hic est cultus magnificus ac splendidus in oculis Dei. Hoc ornatu potissimum demerendus est maritorum animus. Hoc lenocinio et olim sanctae mulieres aliquot, quae spem suam fixerunt non in rebus fluxis atque caducis, sed in Deo, commendabant se viris suis, non auro gemmisque, aut purpura, sed modestia et obsequio, quo facillime lenitur virilis ingenii ferocitas. Sic Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans, quum uxor esset illius, non ancilla, modestiae causa semet illi subiiciens. Nam quamquam non competit viro dominatus in uxorem, est tamen auctoritas, qua etiam sicubi abutatur, est tamen modestiae muliebris, obsecundare in loco. Porro sicut Abrahae germani verique filii sunt, qui fidem illius sequuntur, ita vos estis Sarae filiae, quae mulieris optima mores et masculinum animi robur refertis, bonis operibus ornantes vosmetipsas, ac fiduciam omnem collocantes in Deo, cuius praesidio fretae, non est quod quidquam expavescatis

Ddd 5

- 7 imbecillitate muliebri. Atque ut matronarum officium est, obsequio casto sanctisque moribus ac mansuetudine devincire maritos suos, ita vestrae partes sunt, o viri, nequaquam abuti vestra auctoritate, veluti tyrannidem agentes in uxores vestras, quod vobis se submittant, imo hoc minus fitis in illas domini, quod se faciunt ancillas. Sociae sunt fortunarum ac rerum omnium, Sentiant vos commodos convictores, vestraque sapientia subveniat imbecillitati sexus foeminei. Quo plus valetis animi corporisque viribus, hoc magis oportet opitulari mulierum infirmitati, ut vestra institutione, vestraque moderatione reddantur meliores, ac veluti sexuposito, masculescant ad evangelicam pietatem. Neque enim christiani mariti sunt, qui uxores tantum habent ad usum coitus, imo magis adnitendum est, ut sociae fiant ieiuniorum, eleemosynarum, vigiliarum, precationum, quo quae vocatae sunt ad commune praemium aeternae vitae, communibus etiam studiis huc contendant. In christiano coniugio nihil, aut certe quam minimum, dandum est voluptati, pietati plurimum. In qua si consensus erit, et subinde temperabitis a coitu, non interrumpentur vestrae precationes, quo sacrificio oportet quotidie litare Deo. Ut
- 8 igitur sunt aliorum alia peculiaria officia, ita sui quemque hoc magis decet meminisse, quod qui Christum professus est, debet in his, quae probitatis sunt, caeteris antecellere. Caeteris illud est omnium commune officium, ut quemadmodum eadem omnibus est professio, sicut per baptismum eidem estis infiri corpori, ita per concordiam sit idem omnium animus. Non vos aetas, fortuna, conditio, patriave diversa disiungat, quae res apud alios saepenumero ministrant odiorum ac dissidiorum seminaria. Vos oportet esse coniunctissimos, quos idem baptismus regenuit Deo, qui patrem in coelis habetis eundem, qui pendentes ab uno capite Christo, estis eiusdem corporis membra, quos evange-

lica professio fratres ex aequo reddidit, et ob id ad idem immortalitatis praemium absque discrimine pater ille coelestis vocavit omnes, sive pauperes, sive divites, sive servos, sive dominos, sive maritos, sive uxores, sive Judaeos, sive gentes. In hac parte nullum est discrimen, ideo non debet esse dissensio, neque supercilium. Multo plus impetrabit christiana caritas sese submittens, quam auctoritas exigens. Neque enim convenit inter arrogantes, feroces, sui que amantes. Si in corpore animantis membra sibi vicissim subsidio sunt, et si quid uni cuiquam accidit commodi, aut incommodi, id singula suum esse ducunt, si quos sanguinis propinquitas coniungit, cognatorum commodis atque incommodis pariter gaudent et indolescunt: Quanto magis convenit vos tot modis coniunctos hunc praestare consensum, ut alienis bonis ac malis non minus tangamini, quam propriis. Ita demum praeestabitis vere fraternam caritatem, si qui feliciores sunt, non fastidiant infortunatos, sed malis illorum indolescentes pro viribus opitulentur, si qui potentia praeminent et auctoritate, non premant ac despiciant humiliores, sed consuetudinis comitate affabilitateque semet inferioribus accommodent, ut sit aequalitas, et quos fortuna separavit, coniungat christiana caritas. Absit autem a 9 vobis vindictae libido, quorum est alere concordiam, non solum cum piis ac fratribus, verum etiam, si fieri possit, cum omnibus. Cum bonis oportet officiis certare, cum malis tolerantia, aut etiam beneficentia, qua ut vincuntur et ferae, ita mollescit aliquoties deplorata hominum malitia. Ne velitis igitur iniuriam iniuria retaliare, aut convitium convitio. Sic enim fiet, ut et ipsi mali sitis, qui malos imitemini, quin potius iniuriam officio, maledicentiam benedicendo pensate, ut vestra insuperabili bonitate vincatis et obruatis illorum malitiam. Neque enim in hoc vocavit vos Deus, ut malefactis ac maledictis superetis, sed benefaciendo

- omnibus, bene loquendo cunctis mereamini audire vocem illam optabilem: *Venite benedicti patris mei, possidete regnum.* Bonis malefacere, plus quam ferinum est, in benedicos esse maledicum, plus quam scurrarum, de male merentibus benemereri, de maledicentibus et obtreçantibus, bene loqui, christianae virtutis est. Hoc si cui durum videtur, audiat psalmographum divino afflatum spiritu idem praecipientem: *Qui vult, inquit, vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, cohibeat labia sua, ne*
- 11** *loquantur dolum, declinet a malo, et faciat bonum,*
- 12** *quaerat pacem, et persequatur eam. Quoniam oculi domini super iustos, et aures illius intentae sunt ad preces eorum. Rursus ad spectus domini super eos, qui faciunt mala.* Proinde si Deum volumus in nos esse beneficum, simus ipsi benefici in omnes, si volumus illius ultionem effugere, ne quem omnino laedamus.
- 13** Nec audio, quod hic forsitan obmurmurabit affectus humanus: Ni propulsaro iniuriam, impunitas invitabit plurimos ad laedendum. Imo nihil vos reddet tutiores ab iniuria, quam si vel toleretis, vel officio pensetis etiam. Nullus est laedendi finis, quoties misera vicissitudine convitium convitio, iniuria conduplicatur iniuria. Si nemo repugnet, conquiescet, aut certe languescet improbitas. Quis enim cupiat vos laedere, si studueritis omnibus benefacere, laedere neminem? Quod si qui reperiuntur adeo caeci, ut odio virtutis, aut errore vos persequantur, quaeso qua in re possunt laedere? Auferent pecuniam mox alioqui relinquendam, affligent corpus, occident brevi alioqui morituros.
- 14** Haec omnia quoniam ob pietatem inferuntur, adeo nullum damnum adferunt, ut lucro etiam augeant. His malis augent vobis aeternae felicitatis praemium. Qui bonae mentis afficitur dispendio, is vere laeditur, ea incolumi lucrum est, quidquid mundus putat esse damnum, beatitudo est, quidquid istis videtur calamitas. In vobis igitur situm est efficere, ne qua vis ma-

lorum vobis noceat. Quidquid hominum improbitas ademerit, id divina largitas immenso cum foenore restituet. Proinde Deo fretos, nihil est quod terreant hominum minae, aut perturbet malorum violentia. Ne in mediis quidem afflictionum procellis animo turbemini, tamquam ope divina destituti. Neque maledicatis¹⁵ hominibus, qui vos per ignorantiam affligunt, quin potius glorificate dominum Deum in cordibus vestris, qui suis famulis omnia vertit in bonum, sive laeta accidunt, sive adversa. Semper itaque laudandus est, si voce non semper licet, certe cordis affectu nusquam non licet. Huius hostes non sunt exacerbandi convitiis, verum ubicumque offeret se spes aliqua, posse illos ad Christum pertrahi, fitis faciles promptique ad respondendum quibuslibet cupientibus cognoscere, qua fiducia, quaque spe contemnatis huius vitae commoda, et incommoda toleretis. Idque¹⁶ facite non indignabundi, non contumeliose, velut illis infausti, sed cum omni mansuetudine ac reverentia, freti nimirum vestra conscientia bona, etiam si non possitis illis persuadere. Neque enim satis est christianis, ut vera loquantur, et Christo digna, sed ita loquantur, ut ipsa sermonis ratio declaret, vos non vestrum negotium agere, sed Christi gloriam, et illorum, quibus loquimini, spectare salutem. Hoc erit certissimum argumentum, quo pudeant ii, qui vitam vestram, quam agitis iuxta Christi doctrinam, calumniantur, ut fucata ac maleficam. Nam fucata virtus quamquam alias fallit praestigio, tamen ubi ventum est ad afflictiones, erumpit ac prodit sese. Sola mens sibi bene conscia, totaque pendens a Deo, potest alacriter ferre omnia, et adeo non moliri vindictam, ut iis etiam benefacere conetur, a quibus affligitur. Neque¹⁷ vos moveat, quod innocentes nocentium supplicia patimini, imo hoc nomine levius ferendum est quidquid infertur. Praestat enim vobis, ut si Deo vitum fue-

rit ista vos pati, beneficientes perpetiamini, quam malefacientes. Etenim qui pro malefactis punitur, tantum luit, quod commeruit, vestrae afflictiones cedunt in gloriam Christi, vestraeque felicitatis cumulum.

18 Gloriosum est vobis imitari principem vestrum. Sic ille gloriam Dei patris illustravit, totus innocens captus est, vincus est, caesus est, consputus est, crucifixus est, pro nostris peccatis mortuus est, quum ipse nullum haberet peccatum. Iustus pro iniustis, insons pro fontibus poenas dedit, libenter obediens voluntati paternae, quo nos, qui peccatores eramus, puros et illibatos exhiberet patri, ut et ipsi, sequentes illius exemplum, inter nocentes vivamus innoxii, ac boni pro malorum salute patiamur. Semel ille duntaxat mortuus est, pro temporaria afflictione vita donatus aeterna, ne nos semel exempti a peccatis ad eadem relaberemur. Expiavit autem nos Christus, morti traditus ob imbecillitatem humani corporis quod assumerat, sed revocatus est ad vitam virtute spiritus, qui nullis afflictionibus vinci poterat.

19 Siquidem eo tempore, quo corpus illius exanime sepulchro claudebatur, spiritu vivens penetravit ad inferos, et quemadmodum apud homines mortali corpore circumdatos, ipse corporeus praedicavit evangelicam doctrinam, cui qui crediderunt, salutem sunt assequuti, qui credere recularunt, damnationis aeternae cumulum sibi accersiverunt, ita corpore posito adiit eos spiritus, qui et ipsi corporibus exuti degebant apud inferos, eisque praedicavit iam adesse tempus, quo praemium caperent suae pietatis, quod olim veriti iustitiam Dei, nec se sint ulti de malis, et

20 innoxii vixerint inter nocentes; ac denuntiavit, eos se digna passuros, *) qui temporibus Noe, quum appareretur arca, et exspectaretur diluvium immittendum a Deo, mortalium sceleribus irritato, non crediderunt, sed abusi sunt lenitate divina, quum viderent id, quod minitabatur, in annos aliquot proferri. Itaque dilu-

*) Aliae: se digna passuros iis,

vium irruens perdidit omnes, exceptis perpaucis, nimirum octo duntaxat, qui se iuxta Noe consilium commiserunt arcae, nec absorpti sunt diluvio. Et illis itaque temporibus fides non caruit suo praemio, nec enim fuit Deus perire sibi fidentes toto pectore. Nec increduli possunt effugere vindictam Dei, etiamsi vos non sitis ultores. Vobis enim satis est, quod obeditis Deo, caeterum impiorum ultionem illi relinquit. Iam quod 21 fuit illis arca Noe, hoc vobis est baptismus, quod illis diluvium, hoc impiis aeternum supplicium, praedicatum iis, qui non obediunt evangelio. Satis erat Noe denuntiasse venturum diluvium, satis erat ostendisse quo pacto liceret effugere periculum, si poenitentia placassent iram Dei, quam in se suis sceleribus provocarant. Vobis quoque satis sit innocentia vestra, satis sit aliis denuntiasse, quod praemium paratum sit credentibus evangelio, quae poena maneat incredulos. Si pauci servantur per fidem, vobis non imputabitur. Si bona pars hominum perit incredulitate, suo pte vitio perit. Sic Deo visum est, aperire discrimen bonorum ac malorum. Baptismus rite acceptus servat ab exitio, ac diluit sordes non corporum, sed animorum, repudiatus perdit in aeternum, ac scelerum gravioribus undis involvit. Itaque quod aliis saluti est accedente fide, hoc incredulis ac rebellibus adfert exitium. Neque tamen vobis satis est, quod per baptismi diluvium periere pravae cupiditates pristinae vitae, nisi adsit conscientia, per omnem deinde vitam respondens beneficio divino. Mortuus est Christus, sed semel duntaxat, resurrexit, nunquam moriturus, ac nobis per baptismum ita semel occiduntur scelera vitae prioris per Christi mortem, ut post in illo redivivi innocentiae, nunquam relabamur in peccata, quod quidem in nobis est. Id fiet si veluti deposita mortalitate totis animis ad coelestem illam vitam adspiremus, cuius haereditas manet obedientes evangelio. Sic enim resurrexit Iesus

Christus, ut deinde non sit moratus in terris, sed a mortalium consortio sese subduxerit in coelum, atque illic fruens immortalitatis gloria, affidet patri dexter, non quidem sine corpore, sed in quod iam nullum ius habet mors, quae dum absorbere conatur innocentem, prorsus absorpta est, dumque sibi praedam opimam pollicetur, ipsa praeda fuit. Porro Christi victoria, nostra est victoria, et quod in illo praecessit gloriae, nobis ostenditur, si modo perseveremus in eo, quod coepimus, et illius vestigiis inhaereamus. In illum nihil valuerunt improborum afflictiones, imo his tolerandis vicit, triumphat ac regnat, sublimis sedens in coelis, superior angelis omnibus, aut quidquid est alioqui virtutum ac potestatum. Vobis aperuit viam in coelum, ut eadem via, qua ille ingressus est, vos quoque eodem grassemini. Parata certaue est haereditas, cuius ille pro vobis quoque possessionem adiit, si modo vos ea praestetis dignos, hoc est, si innocentiae, quam ille gratis donavit, iunxeritis studium benemerendi de omnibus, etiam de malis et affligentibus vos, quod quidem sit in vobis.

CAPUT IV.

1 Quum igitur Christus princeps et caput vestrum non obsequutus sit huius vitae voluptatibus, sed per temporarias corporis afflictiones pervenerit ad coelestem gloriam, quumque tolerantiae armis devicerit adversarios, aequum est, ut qui profitemini vos illius discipulos, simili animi proposito vos ipsos armetis. Tutissima est armatura, vitae innocentia. Inexpugnabile munimentum est, patientia christiana. Hac quisquis cinctus est, non potest a quoquam laedi. Quisquis Christo commortuus fuerit iuxta carnem, sic desinit a peccatis vitae prioris, ut humanis cupiditatibus plane fit

fit mortuus, ut iam non titilletur aviditate gloriae, non irretatur vindicandi libidine, sed quidquid est reliquum aetatis, quod datur in hoc corpufculo, id totum vivat voluntati Dei, cui uni placere deliderat, a quo exspectat bonae conscientiae praemium, cui relinquit improborum vindictam. Quisquis ad martyrium paratus est, non tangitur huius mundi voluptatibus. Sic enim apud se cogitat: Absit ut semel cum Christo meo suffixus in crucem, descendam ad relicta vitia, semel destinatus aeternae felicitati, revolvar ad huius mundi non minus breves quam insanas delicias. Abunde satis est, quod praeteritum tempus adhuc alienus a Christo impenderim insanis cupiditatibus, quibus gentes profanae turpiter serviunt, addictae deditaeque lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, comestationibus, ac nefariis simulacrorum cultibus. Haec gaudemus a tergo reliquisse Christi beneficio, et quoties respicimus, inhorrescimus tantam vitae foeditatem, tantam ignorantiae caliginem. Nunc pro libidine placet castitas, pro luxu frugalitas, pro vinolentia sobrietas, pro superstitioso simulacrorum cultu vera pietas, religiosusque cultus Dei vivi, cui gratissimum sacrificium est animus ab omni vitiorum inquinamento purus et illibatus. Quos adhuc habent suae tenebrae, mirantur istam tantam in vobis animorum ac vitae mutationem, et indignantur, vestra frugalitate damnari luxum ipsorum, vestra integritate notari vitam, ipsorum omni intemperantiae genere superfluentem. Amarent socios turpitudinis suae, nunc ob vitae dissimilitudinem obtreclant vobis, sed non est, quod horum convitiis commoveamini, nec sunt vicissim convitiis infectandi. Vobis satis fit mens sibi bene conscia apud Deum. Si qua potestis illos ad meliora convertere, conandum est, sed ita, ut a vestra sinceritate non recedatis. Si respiscunt, gratulandum est. Si obdurati convitiis etiam infectantur bene volentes, relinquite vindictam Deo, cuius iudicium nullus

mortalium potest effugere. Is enim suo tempore iudicabit omnes, non vivos tantum, verum etiam mortuos, vivos, quos adventus Christi deprehenderit viventes in corpore, mortuos, qui ante Christi adventum iam excefferint e vivis. Quamquam non vere vivit, nisi qui vivit pietati. Qui serviunt vitiis foedisque cupiditatibus, Deo mortui sunt. Huic iudici reddituri sunt rationem isti vere mortui, si nolint a suis vitiis resipiscere. Ille pro vobis poenam sumet de illis, vobisque vestrae tolerantiae praemia persolvat aequissimus iudex. Cupit ille quidem omnes reviviscere ad pietatem evangelicam, et hac gratia voluit evangelii gratiam praedicari, non modo Judaeis, iuxta Mosi legem religiose viventibus, non solum gentibus, iuxta naturae legem probe degentibus, verum etiam mortuis, omnique vitiorum genere prorsus sepultis. Et horum tenebris voluit ingeri lucem evangelicam, hos voluit cum omni mansuetudine tolerantiaque doceri, ut ipsi tandem expurgiscentes, contemtis his, in quibus nunc caeci collocant felicitatem suam, apud homines quidem habeantur veluti corpore mortui, quod nullis corporis affectibus tangantur, sed apud Deum vivant spiritu. Non enim vere vivit iudice Deo, nisi qui sic mortuus est. Nihil autem hic diuturnum, et omnium rerum brevi finis aderit. Et illos cito relinquent suae voluptates, et vestrae afflictiones mox finientur. Deinde vos manet aeterna felicitas, illos aeternum supplicium.

6 Proinde modis omnibus advigilandum, ne vos ille dies offendat dormitabundos, et oscitantes crapula, fociordiaque. Quin magis perpetuo praeparetis vosmetipsos adversus eum diem, sobrii ac vigilantes in assiduis precationibus. Veniet enim inexpectatus, sic Christo visum est, sed in his si deprehenderit, non poterit non venire felix. Grata est Deo sobrietas, tutum est vigilare, libens audit Deus preces temperantia vigilantiaque commendatas. Sed illud multo omnium gratissimum, ut iugi vehementique caritate vos invicem

7

8

complectamini, mutuis officiis invicem sublevantes, ut qui vigilantior est, expergefaiat oscitantem, qui doctior, erudiat indoctiorem, qui attentior, admoneat cessantem, qui ferventior, exstimulet frigentem, qui perfectior est, condonet per infirmitatem erranti. Nam haec caritas ardens in proximum, operit multitudinem peccatorum, quibus obnoxii sumus Deo. Quod in illum deliquimus, optime diluitur collocandis in proximum beneficiis. Ut cuique facultas obtingit, ita hac studeat prodesse fratri. Cui res est, hospitem sese praebeat, ac largiatur iis, quibus opus est, non gravate, neque cum murmure, sed libens et alacer, existimans se beneficium accipere, quum dat, et huiusmodi facultatum (*) dispendium ingens esse compendium apud Deum, omnia cumulatissime remetientem. Quin et illud cogitate, quidquid iuvando proximo impenditis, Dei beneficium esse, in hoc donatum, ut hac veluti sorte credita ditescatis usura piorum operum. Aliis alias dotes distribuit Deus. Nemo sibi vindicet quod habet, cogitet Dei munus esse, quod per vos distribuunt vult in alios, ut ex mutuis officiis magis ac magis aglutinetur inter vos mutua caritas, et singulis per occasionem crescant praemium pietatis. Nemo sibi displiceat, quod hac aut illa dote non sit praeditus. Nemo sibi placeat, quod dotibus praecellat alios. Sic visum fuit diviti benignoque Deo, varie partiri sua muna. Nemo dominus est eius, quod accepit, dispensator est tantum. Domini res est quam dispensat. Id si bona fide, si alacriter, si sollicitate facit, ne mercedem exspectet ab homine, quam sit recepturus a Deo. Si cui contigit doctrina sacra, si cui donum eruditionis linguae, non abutatur ad quaestum, ad fastum, aut inanem gloriam, sed ad proximi salutem, Christi que gloriam. Sentiant auditores esse Dei sermones, non hominum, et eum, qui loquitur, nihil aliud esse, quam

Eee 2

(*) Aliae: rei

organum divinae vocis. Si quis magis valet functione quam doctrina, sic administret dotem suam, ut non sibi vindicet auctoritatem, sed Deo transcribat, qui vim et robur suppeditat, ut efficaciter obeat quod agit. Ita fiet, ut ex dotibus varie distributis, ex muniis varie obitis, undique glorificetur Deus, a quo ceu fonte nobis fluunt omnia, non per Moſen, sed per Iesum Christum, per quem ut unicum filium nobis largitur, quidquid largitur pater. Huic igitur acceptum referet, qui officio fratris adiutus est, huic gratias aget, qui suo ministerio gaudet adiutum fratrem. Summa igitur omnis gloriae undiquaque ad Deum patrem redit ac filium, cui iugis est gloria et imperium, nullo aevo fi-
12 niendum, Amen. Nobis non est hic quaerenda gloria, tantum oportet officii nostri meminisse, quo placeamus Deo. De praemio viderit ille, cui fidimus. Ille persequentium malitiam vobis vertet in bonum, cruciatus mutabit in gaudium, ignominiam in gloriam. Proinde carissimi, ne interim ceu re nova perturbemini, si coelestis regni consortes futuri, temporariis afflictionibus exploramini, velut aurum igni. Novum vobis videri non debet, quod olim praecessit in probatis prophetis, quod nuper in Christo. Levius ferendum est, quod videtis cum omnibus Deo probatis viris vobis es-
13 se commune. At quod hac in parte discipuli praeptorem, membra caput refertis Iesum Christum, gaudere etiam ac vobis gratulari debetis, quod ut nunc vos habet dignos, quos velit esse socios afflictionum, ita post quum aperuerit omnibus maiestatem suam, pudefactis et attonitis, qui illum et illius odio vos affligerunt, exultabitis ineffabili gaudio, quod sentiri potest,
14 verbis exprimi non potest. Interim si probris vos afficiunt homines, non ob vestra flagitia, sed ob professionem Christi, quantumvis affligimini corpore, tamen hoc nomine estis beati, quod in mediis etiam cruciatis, in mediis ignominis gloriosus ille spiritus Dei re-

focillatur in vobis ob animum innoxium, sibi que bene conscium. Dulce est pati cum Christo, gloriosum est pati pro Christo. Nam quod in ipsis est, probro afficiunt Christum, sed vestra innocentia, vestra tolerantia facit, ut id cedat in illius gloriam. Absit autem,¹⁵ ut quisquam vestrum affligatur ob homicidium, aut furtum, aut convitium, aut curiositatem eorum, quae nihil ad vos pertinent. Non enim cruciatus martyrem facit, sed causa. Quisquis autem patitur non ob aliud, nisi quod christianus dicitur, non est quod pudeat supplicii. Furem appellari turpe est, christianum appellari gloriosum est. Beati sunt, quibus vel sic li-¹⁶ cet effugere supplicia gehennae, quibus per momentaneas afflictiones datur aditus ad aeterna gaudia. Ad haec non admittit Deus, nisi multa malorum tolerantia spectatum probatumque. Olim exercebit formida-¹⁷ bile iudicium, ubi misericordiae tempus fuerit exactum, ubi pro meritis sua cuique reddentur praemia. Interim mitius est iudicium, quum temporariis cruciatibus ad purum examinati, reddimur idonei consortio Christi, qui nihil admittet nisi purgatissimum ac defecatissimum. Iam tempus est, ut hoc iudicium exerceatur, quo magis sit evidens, qui vere fidant Deo, qui vere diligant Christum. Res prosperae tranquillaeque non arguunt veram pietatem. Mosaicas ceremonias servare potest et hypocrita, at iacturam rerum, probra, carceres, flagra, mortem, nemo fert aequo animo, nisi qui fidem invictam cum evangelica caritate coniunxerit. Ad haec se parent, qui volunt olim regnare cum Christo. Iudicium hoc incipiet a domo Dei, quae est ecclesia. Quod si tanta purgatione nobis opus est, qui credimus evangelio, et vivimus innocenter, quis finis, quod iudicium, quae poena manet illos, qui diffidentes evangelio Dei persistunt in suis flagitiis? Si sic examinantur, qui simpliciter obedientes evangelio, relictis omnibus huius mundi deliciis, tradiderunt sese stu-

dio pietatis, quid futurum est iis, quos evangelii prae-
 18 dicatio reddidit etiam deteriores? Et si qui iuste vi-
 vunt, nullius mali sibi conscii, non sine periculo nego-
 tioque perveniunt ad portum aeternae salutis: Qua spe
 comparebunt impii ac scelerosi in iudicio tam exacto,
 19 tamque formidando? Itaque tantum abest, ut illic si-
 bi sperent ullam salutem, ut hi quoque, qui non ob
 malefacta, sed ob voluntatem Dei crucientur in hoc
 mundo, non debeant sibi fidere, sed pro viribus exer-
 centes opera pietatis, hoc pacto deponant animas suas
 apud Deum conditorem, cuius bonitas non sinet peri-
 re quod condidit, si benefactis immoriantur, sique
 suis diffisi meritis, ab illius benignitate praemium ex-
 spectent.

CAPUT V.

1 **H**Oc agite fratres, et seorsum singuli, et in com-
 mune omnes, ut Christi vestigia sequentes, ad illius con-
 sortium perveniatis. Sed par est, ut qui praecellunt aetatis
 auctoritate, praecellant et studio pietatis. Ab horum exem-
 plo, ab horum doctrina, ab horum auctoritate pendet reli-
 quus grex, quibus haud quaquam satis est, si suam tueantur
 innocentiam, nisi multitudinis etiam curam agant. Nam
 his auctoritatem addit canities; prudentiam, rerum
 usus; fidem, integritas diu probata spectataque. Vos
 igitur appello, seniores, populi custodes, senior et ipse,
 qui quod doceo, re factisque praestiti, quippe pro
 Christi nomine carceres et flagra perpeffus, ad crucem
 etiam paratus, ubi volet Deus, atque idem optimam
 spem habens fore, ut quem ille dignum habuerit, ut pro
 ipso perpeteretur, eundem sit ad gloriae coelestis con-
 sortium admissurus, simulatque venerit ille dies, quo
 2 declarabit orbi maiestatem suam, et finitis certamini-
 bus proferentur praemia. Obsecro vos per Christo pro
 vobis toleratos cruciatus, per meas afflictiones, qui-

bus dominum meum pro virili sequor, praebete vos vere pastores multitudinis, quae cuique forte *) obtigit, vigilate, obambulate, dispicite, curate ne quid defit gregi, pro quo mortuus est Christus, ne consolatio sancta, ne doctrina salutaris, ne vitae evangelicae exemplum. Episcopi vocamini, re praestate quod appellamini. Pascite, curate, regite, custodite, ne quid pereat, ne quid aberret. Idque facite non gravate, veluti coacti metu, aut pudore, aut officii necessitate, sed promte, sed libenter, sed ex animo, nihil aliud spectantes, quam quid Deo sit gratum. Illius negotium agitis, ab illo recepturi mercedem aeternam. In hac vita ne quaerite praemium. Turpe est, quaestus gratia curare populum christianum, quod nemo cum laude facit, nisi qui sponte et gratis facit. Excidit a praemio coelesti, qui venatur hic officii mercedem ab hominibus. Huic proximum est, si quis lucri quidem contemtor est, sed tamen ambit honorem ac dignitatem, gaudet imperare, gaudet coli, nec huic erit praemium apud Deum. Tulit hic mercedem suam. Multum abest episcopi munus a dominatu, non est tyrannis, sed administratio. Ideo praesidet episcopus, non ut plus auferat lucri, non ut regnet, utque illi plus liceat, sed ut plus profit. Memineritis igitur seniores officii vestri, sic gerite vos in omnibus, ut vestra vita populo sit exemplar vitae evangelicae. Discant ex vestris moribus lucrum negligere, discant adspernari fastum, discant officiorum suorum a Christo sperare mercedem, nec aliud interim spectare, nisi quia sic est honestum, sic Deo gratum. Interim vel gratis agite bonos pastores. Quamquam id quidem haud fiet gratis. Imo quum die praefinito proferet sese princeps pastorum Iesus Christus, qui semet totum impendit ovibus suis, quarum custodiam nobis concredidit, tunc pro vili mortali que praemiolo percipietis gloriosam of-

E e e 4

*) Aliae: forte

ficii vestri coronam, quae nunquam marcescet. Nolite igitur vobis sumere, quod oportet a principe vestro expectare, nolite diem antevertere, quem ille nobis incertum esse voluit. Quemadmodum autem seniorum partes sunt, ut se patres praebent iunioribus, ita iuniores vicissim oportet se morigeros et obsequentes praebere senioribus, et quemadmodum seniores se submitunt per evangelicam caritatem omnibus, quo magis prodesse queant: Ita iuvenes non debent abuti modestia facilitateque seniorum, imo hoc promptius convenit illis obsequi, quo minus abutuntur auctoritate sua. Ubi vera caritas est, ibi nec auctoritas habet fastidium, nec iuventus ferociam. (*) Qui dignitate praeminet, hoc tantum agit, ut aliis sit usui, qui subditus est, ultro plus praestat, quam ille exigit. Sit igitur omnibus penitus infixam animi modestiam, ea faciet, ut neque gravis senioribus sua sollicitudo, neque iuvenibus molesta sit illorum auctoritas. Odit Deus in hominibus animi ferocitatem, delectatur animis submissis ac deicientibus se, his libenter impartit suas dotes, qui sibi nihil tribuunt, elatos repellit et averfatur, ut indignos suo beneficio. Qui se demittunt, hos elevat, qui semet efferunt, hos deiecit, qui suis fidunt viribus, hos non dignatur ope sua, qui suis praesidiis diffisi, toti pendent ab illius nutu, hos fovet ac tuetur. Submittite igitur vosmetipsos, non ob metum hominum, sed freti potenti manu Dei. Non est periculum, ne conculcemini perpetuo, ille vos elevat in altum et attollet, quum venerit dies ille praemiorum.

7 Ne circumspicite, ne diffidite, nolite metuere, ne malorum undis indefensi neglectique involvamini, quoniam ille, qui nihil non potest, nihil non videt, curae

8 vos habet, nec patietur quidquam vestri perire. Solet aetas juvenilis esse propensa ad voluptates, ad luxum, ad lasciviam. Vos autem estote sobrii, vigilate animis semper attentis, semper circumspicite. Non enim

(*) Aliae: ferocitatem

dormit ille vestrae salutis adversarius, fitiens hominum exitium, sed obambulat veluti leo famelicus ac rugiens, undique captans, quem devoret, nullum non aditum tentans in vos, nunc insidians per voluptates, nunc oppugnans persecutionibus. Ne date locum illi, sed infractis animis obsistite. Dicetis: Unde vires adversus tam potentem? Potentior est, qui curam habet vestri. Illi modo fidite totis animis, nihil poterit adversarius. Erga diffidentes robur habet, erga fidentes imbecillis est. Si hunc aut illum impeteret, fortassis esset iure gravis afflictio, nunc universum piorum gregem pari impugnat odio. Christum in vobis persequitur, invidet saluti omnium, quo levius erit ferenda communis omnium afflictio, et concordibus animis standum adversus hostem communem. Ista brevi finem habitura sunt. Nec interim vos destituet Deus, unde proficitur omnis beneficentia, imo quod coepit in vobis, perficiet. Dedit istos animos, ut ob amorem ipsius non dubitetis adire cruciatus, per quos vocavit vos ad aeternam gloriam suam. Non finet vos excidere a palma, si fortiter certetis. Aderit certantibus, vosque fulciet, roborabit ac stabiliet, ut ad breve tempus afflicti, perveniatis ad coronam immortalitatis. Illius praesidio vincimus, illius munificentia capiemus praemium. Non est quod nobis arrogemus laudem. Solum Deo debetur omnis gloria, non solum in hoc mundo, verum etiam in omnia secula, Amen. In praesentia non agam vobiscum pluribus, nam hac ipsa de re vobis, opinor, nuper scripsi, licet paucis, per Sylvanum fratrem fidelem, qui non dubito, quin epistolam bona fide reddiderit. In ea vos obsecrabam et obtestabar, ut in eo, quod coepistis, perseveretis, ne qua res dimoveat animum vestrum. Verissimam ad salutem viam estis ingressi. Huc usque progressi estis Dei beneficio. Persistite fortiter eiusdem praesidio, donec pertingatis ad palmam vitae immortalis. Salvere vos

iubet congregatio christianorum, quam una nobiscum Deus sibi delegit Babylone, quae in medio impiorum idololatrarum evangelicam sequitur pietatem, in medio corruptissime viventium amplectitur vitae puritatem. Soli non estis, ubique habet Deus suos electos, pauculos quidem illos, sed exquisita seminaria olim latius propagandae ecclesiae. Salutat vos Marcus, qui ¹⁴mihi filii est vice. Salutate vos invicem osculo non vulgari, quod ex more datur, non ex animo, sed sancto, puro, vereque christiano, quod ab animo non dissideat, quod caste sincereque amantis sit non mendax symbolum. Atque, ut epistolam indidem finiam, unde sum exorsus, gratia et pax vobis omnibus semper adfit, qui infiti corpori Iesu Christi, illius spiritu vivitis, ut illa Deo vos copulet, haec vos mutua conglutinet concordia. Quod faxit Deus optimus maximus.

PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM PETRI PRIOREM

FINIS.

IN
EPISTOLAM PETRI APOSTOLI
POSTERIOREM
ARGUMENTUM
PER
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

HAnc, ut apparet, scripsit admodum senex, et iam morti vicinus, quandoquidem de obitu suo meminit. Scribit autem promiscue christianis omnibus, adhortans ad vitae puritatem, et veterum exemplis, ac terrore iudicii extremi deterrens a turpibus, vehementer infectans eos, qui simplicium animos perversa doctrina corrumpent, negantes adventurum Christum.

ARGUMENTI FINIS.

IN